

jam extitisse ante omne tempus, etiam quantumlibet infinitum retro spatiū, quod homo sibi cogitando proponat. C. Nempe ut AMBROS. L. 1. de fid. c. 8. n. 56. ait: *Indefinita tenditur Erat. Quidquid excogitaveris, erat Filius;* et HILAR. L. 2. n. 43. de Trin. *Erat, quod est, neque in aliquo tempore concluditur ut cœperit, quod erat potius IN PRINCIPIO, quam fiebat. Quoad 2. D. Enuntiat de Deo annos et secula, ejus durationem his concludendo, aut æternitatis rationem cum annis et seculis aequiparando N. durationem ab his eximendo, et æternitatis rationem distinguendo C. Primum patet ex textibus Scripturæ num. pr. recitatis; alterum ex dictis ibid. SS. Patrum recensitis.*

66. *Nec dicas 2º.* Duratio in suo conceptu essentialiter dicit plura instantia: æternitas definitur duratio; ergo. *Conf. 1º.* In duratione, quæ partim correspondet tempori, partim illud excedit, debent esse partes et successio; talis duratio est æternitas; ergo. *2º.* Si æternitas foret tota simul, ergo omnia illius instantia deberent esse in eodem instanti; non esset plus, quam unicum nunc ac punctum temporis; creatura existens per unicum momentum foret eterna; quia cum tota æternitate corresponderet, vel existeret. Sed hæc sunt absurdæ; ergo.

R. D. M. Duratio rei temporaneæ mutabilis essentialiter dicit plura instantia. *C.* duratio rei æternæ ac immutabilis *N.* Duratio nempe similis est enti, cuius est duratio; cum igitur æternitas Dei sit entis simplicis indivisibilis et immutabilis, eadem quoque est duratio nihil acquirens aut perdens, nullam successionem admittens, sed *tota simul*.

*Ad Conf. 1º. D. M.* In duratione, quæ secundum se divisim ac fluendo partim correspondet tempori, partim illud excedit, habentur partes et successio. *C.* quæ secundum se tota simul et stans correspondet etc. *N.* vel *Subd.* habentur partes et successio formales et reales *N.* virtuales duntaxat et imaginariæ, seu ex humani ingenii imbecillitate ad explicationem qualemcumque pro more aliarum durationum dandam conceptæ. *C.* Sicut centrum, quod est unicum ac indivisibile punctum, correspondere secundum se totum singulis circumferentiæ punctis ac lineis concipitur; sic æternitas simplex ac sine fluxu caducis temporum partibus dicitur correspondere.

*Ad 2º. R.* In æternitate non sunt plura instantia intrinseca, formalia et realia. Unicum temporis punctum, licet concipiatur indivisibile, imperfictum tamen est; cum æternitas cum sua indivisibilitate omnem contineat perfectionem, quæ in duratione successiva vel fangi per mentem potest. Creatura existens per unicum momentum coexistit cum tota æternitate relata ad se et durationem intrinsecam, non vero ad tempus reale vel imaginarium et durationem extrinsecam.

67. *Observa.* Res futuras, seu creature ab æterno fuisse Deo præsentes secundum suum esse tum *intentionale*, tum *eminentiale*, quod ab æterno vel in cognitione divina vel in essentia et omnipotentia habuerant Dei, dubitatur a nemine: controvertitur tamen inter Auctores, an creature etiam possint dici ab æterno fuisse Deo præsentes secundum suum esse *reale* ac *formale*? Affirmant id Cajet., Gonet, Joan, a S. Thoma cum *Thomistis* aliis non paucis; tum quia creature coexistunt æternitati Dei indivisibili;

tum quia ex SS. Patrum sententia Deo *nihil est futurum, sed ei omnia ab æterno sunt præsentia.* Negant id reliqui cum *Scotistis*; tum quia esse præsens alteri ab æterno habetur formaliter et essentialiter a duplice existentia; creature autem existentiam ab æterno non habuerunt: tum quia licet res creata coexistat in aliquo loco toti indivisibili immensitati divinæ, tamen ei non coexistit *ubique*; adeoque licet in aliqua temporis differentia coexistat toti æternitati, ei tamen non coexistit *semper* et ab æterno. In hac vero controversia, quæ de nomine potius, quam de re versari videtur, pars *negativa* preferenda est; præsertim cum partis contrariae fundamentum prius ex nuper dictis jam solutum sit, posterius vero non pertineat ad præsentiam realem, sed ad objectivam duntaxat et intentionalem; ut facile ex ipso contextu laudati testimonii, quod ex L. 2. S. AUG. ad Simplic. q. 2. n. 2. depromit, apparet, cum de præscientia Dei sermo sit, quam ideo proprie dari in Deo negatur, quia futuritio *objective* ab æterno erat, et a Deo etiam comprehendebatur.

## ARTICULUS III.

## AN DEUS SIT IMMENSUS?

68. *Nota I.* Immensitas est diffusio entis circumquaque infinita, h. e. in omnem dimensionem sine omni termino: differt ab *ubiquitate*, quia est aptitudo coexistendi in locis infinitis, cum hæc tantum sit actualis et formalis nonexistentia entis in locis aut rebus omnibus extantibus; unde et immensitas Dei est æterna, absoluta et necessaria, *ubiquitas* vero est temporanea, respectiva et libera, quamvis posita creature existentia necessario sequatur ex immensitatis attributo, sicut ex attributo æternitatis necessario sequitur, ut Deus in quacumque temporis differentia, in qua creatura existit, eidem coexistat. Tribus autem modis res quæpiam, maxime Deus, potest esse alicubi vel ubique: *per præsentiam*, si videt aut cognoscit, quæ fiunt alicubi, aut gubernat et moderatur, iisque providet: *per potentiam*, si virtus ejus operatur in aliquo loco, quacumque ratione agendo: *per essentiam*, si ejus entitas ac substantia locum implet, aut res intime pervadit ac penetrat. Porro tripliciter res aliqua per suam essentiam seu entitatem alicubi existere potest: *circumscriptive*, cum ita locum occupat, ut per diversas suæ substantiae partes totidem loci partibus respondeat, et ulterior non extendatur: *definitive*, cum tota est in toto loco, et tota in qualibet loci parte, nec tamen alibi reperitur, seu extra hunc locum est: *replete*, cum tota sic locum totum et omnes loci partes implet, et tamen illo non ambiatur nec terminetur.

69. *Nota II.* Circa hanc questionem errarunt, quotquot inter Veteres Deum admiserunt corporeum, aut Deos suos inanes vel cœlo, vel alteri mundi parti, vel templis ac idolis tenebant affixos. Inter Philosophos errarunt etiam illi, qui supremum Numen dicebant duntaxat esse in celis, aut extra cœlum esse, et universi molem torqueare, ut *Stoici*; aut in mundo inclusam ceu nautam in navi, ut *Platonici*: inter Judeos et Samaritanos, qui, teste S. HIER. putabant, Deum concludi templo, vel in Jerusalem, vel in monte Garizim:

inter *Hæreticos Gnostici, Calentiani, aliique, qui duplīci principio admissō, bonum in luce, malum in tenebris collocarunt; Manichei, qui quamvis Deum mole infinita diffusum dicerent, tribus tamen quadris includebant; Sociniani cum Vorstio, Episcopio et aliis, qui virtute quidem et scientia ubique, substantia autem in cœlo duntaxat Deum præsentem statuunt: inter Catholicos Augustino Steucho idem postremorum error a quibusdam tribuitur; nonnulli etiam Cartesianos et Gassendistas insimulant, quod ex eorum de extensione, spatio ac loco placitis nullam esse substantiam Dei diffusionem sequatur.*

70. *Dico. Deus etiam ratione substantiæ suæ est rebus omnibus præsens ac immensus.*

*Prob. I. ex Scriptura: Deut. 4. 39. Scito..., quod Dominus ipse sit Deus in cœlo sursum et in terra deorsum. Psal. 138. 7. Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illuc es; si descendero in infernum, ades etc. Sap. 1. 7. Sp̄ritus Domini replevit orbem terrarum. Jerem. 23. 24. Si occultabitur vir in absconditis; et ego non video eum, dicit Dominus? Numquid non cœlum et terram ego impleo? dicit Dominus. Quamvis vero ex hac præsentia recte inferatur etiam substantiæ immensitas, eamdem apertius etiam exprimunt alia; Jobi enim 11. 8. dicit Sophar de Deo: Excel-sior cœlo est, et quid facies? profundior inferno, et unde cognosces? longior terra mensura ejus, et latior mari. Salomon. 3. Reg. 8. 27. Si enim cœli cœlorum te capere non possunt; quanto magis domus hæc, quam aedificavi? Baruch. 3. 23. Magnus est, et non habet finem, excelsus et immensus.*

*II. Ex TRADITIONE. C. Lateran. I. vocat Christum Incircumscrip-tum secundum divinitatem. Lateran. IV. c. Firmiter, profitetur, se credere Deum immensem; Symb. Athanas. habet: Immensus Pater, immensus Filius, immensus Sp̄ritus Sanctus; et universim loquendo PATRES primorum seculorum plures, contra Arianos et Macedonianos disputantes, tum Filii tum Spiritus Sancti divinitatem ex immensitate probarunt. Specialim vero de ubiquitate divina substantiali testantur. THEOPHILUS ANTIOCH. L. 2. n. 3. ad Autol. Dei proprium hoc est, non solum ubique esse, sed etiam intueri omnia. ARNOB. L. 6. cont. Gent. c. 4. Hoc est proprium Deorum, completere omnia vi sua, non partiliter uspiam, sed ubique esse totos. CLEM. ALEX. L. 7. Strom. Deus non comprehensus omnia comprehendit. ORIG. homil. 12. in Genes. n. 2. Nonne ubique Dominus? nonne ipse dixit: Cœlum et terram repleo. S. CYPRIAN. L. de idol. van. n. 9. Quod vero templum habere possit Deus, cuius templum totus est mundus?.... Unus est et ubique totus diffusus est. ATHANAS. L. cont. Sabell. n. 10. Ne queratis loci magnitudinem tantam, ut quæ possit Dei magnitudinem capere; non enim immensem in meno est. Idem: Ita complet omnia, ut non cum exigua creatura extensis adaequetur. HILAR. in Ps. 144. n. 21. Deus ubique semper est, et totus semper ubique est. CYRIL. HIEROS. Catech. 6. n. 8. In loco minime definitus, sed locorum opifex: in omnibus existens, et a nullo circumscrip-tus: unus est ubique præsens; ergo.*

*Conf. Deus est ens omniperfictissimum; esse immensem est perfectio; ergo Deus est ens immensem. Deus est ubique per operationem, ut concedunt Sociniani, et patet ex Scriptura Psal. 138. cit. Si sumpsero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris; illuc manus tua deducet me. Act.*

17. 28. *In ipso vivimus, movemur et sumus. Sed operatio Dei entitative sumpta est omnino idem cum illius natura, ut docet Basil. L. 5. adv. Eun. (opp. t. I. p. 298. B.) scribens: In simplici et corporis experite natura eadem est ratio substantia et operationis; ergo est ubique per substantiam. Deus non est nullibi, cum sit ens existens; ergo est alicubi; ergo ubique. Si enim foret alicubi, nec tamen ubique; ergo imprimis limitaretur ejus substantia, nec jam infinitus foret in hac, sicut in perfectionibus tamen reliquis: deinde in hoc loco non existeret necessario; cum hujus necessitatis nulla ratio dari queat, et præterea repugnet independentiae divinæ: nec etiam ibi esset libere; quia tunc vel locum illum mutare non posset ratione immutabilitatis, vel alibi sistere se non posset præsentem, quod magnæ imperfectionis nota foret.*

71. *Obj. I. Deus est in cœlo, non autem in terra; Psal. 143. 25. Cœlum cœli Domino: terram autem dedit filiis hominum. In tabernaculo et templo, non autem in aliis aedibus, 2. Reg. 7. 6. Neque habitavi in domo ex die illa, qua eduxi filios Israel de terra Ægypti usque in diem hanc: sed ambulabam in tabernaculo et in tentorio. In justorum animabus, non vero in peccatoribus, Joan. 14. 23. Ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus; ergo sic est alicubi, ut non sit alibi.*

*R. D. C. Sic est alicubi, ut eo modo non sit alibi C. ut plane alibi non sit N. Quamvis enim Deus ubique sit per divinitatis sue præsentiam, tamen singulariter est in cœlo per gloriae sue revelationem, præmii largitionem, et Beatorum Deum laudantium exaltationem ac regnum; in arca, tentorio et templo per precum exauditionem, misericordiae manifestationem et munerationum concessionem; in justorum animabus per sanctificationem, gratiæ inhabitationem et virtutum operationem; unde hec tantum specialis præsentia ratio, non vero substantialis Dei præsencia per allatas probationes excluditur, ut S. Aug. ep. 57. (al. 187.), DAMASC. L. 1. de fid. c. 13. (al. 10.), BERN. Serm. 1. in Psalm. 90. n. 4. aliisque Patres docent. Cæterum sensus litteralis textus primi est, supremum cœlum Domino proprio esse dicatum, illudque dare huic reservatum; terram autem habitandam destinatam hominibus, ac inter eos distribuendam permissum iisdem: secundi autem, arcam, in qua Deus saepe spectabilem se in cœlum nubis aut ignis præbuerat, hactenus non fuisse in templo, sed sub pellibus ac in tentorio.*

*Inst. 1. Sæpe in Scriptura legimus Deum ambulasse, descendisse, recessisse ab impiis etc. Sed hæc immensitati repugnant; ergo.*

*R. D. M. Legimus, Deum ambulasse, descendisse, recessisse etc. sensu proprio, et quo significatur verus motus aut loci mutatio N. sensu metaphoricō, et quo duntaxat manifestatur diversa Dei operatio et effectus C. Vide, ait S. Aug. Serm. 70. de temp. (al. in App. 3. n. 6.) ne ascensionem et descenditionem localem sentias; indignum est hoc de incorporea et ubique tota sentire substantia; sed descendere dicitur Deus, quando curam humanae fragilitatis habere dignatur; vel, ut L. 16. de Civ. c. 3. dicit: Cum aliquid facit in terra, quod preter usitatum naturæ cursum mirabiliter factum præsentiam ejus quodammodo ostendat. Hinc descensus Dei, Gen. 11. ad videndam turrim Babel, iram ejus et poenam superborum; Gen 46. cum Jacob in Ægyptum, gratiam et patrocinium; Matth. 3. Spiritus Sancti super Christum, illius invisibilis*

Spiritus manifestationem sub columbae specie; Verbi Divini de cœlo, assumptionem naturæ humanæ designat. Similiter Genes. 3. legitur, Deum deambulasse in Paradiso, et Deuter. 23. ambulare in medio castrorum, dum ibi primos parentes ad examen et pœnam vocavit, hic vero militibus robur et populo tutelam indulxit: *Accedere autem vel recedere dicitur, si beneficia largiatur, vel gratias ubiores retrahat.*

*Inst. 2.* Genes. 6. legitur, Cain fuisse egressum *a facie Domini*; et 23. Rebeccam perrexisse, ut *consuleret Dominum*; ergo in plaga orientali, ad quam profugit Cain, et in regione, quam reliquit Rebecca, non videtur Deus fuisse.

R. N. C. Cain enim dicitur tantum egressus a loco, in quo ei Dominus apparuerat; Rebecca autem remotior a marito secessisse in cubiculum ad orandum; unde non secundum sensum proprium sequitur, Deum ubique non existere, præsentem cum in postremo textu citato legatur, Isaacum ibidem pro uxore sua Deum rogasse. Evidem sunt, qui putent, antiquis Patriarchis ante Jacobum fuisse ignotam Dei immensitatem, ideoque hunc Genes. 28. dixisse: *Dominus est in loco isto, et ego nesciebam*: sed cum hic locus de speciali aliqua demonstratione providentia virtutisque divinæ, quam apparitionem etiam vocare licet, loquatur, minime vero de presentia Dei substantiali; haec opinio caret fundamento, nisi forte ad rudiores quosdam restrin-gatur.

72. *Obj. II.* Plures ex Patribus videntur negasse Dei immensitatem: CHRYSOST. hom. 5. in epist. ad Coloss. n. 3. et AUG. L. 83. QQ. q. 20. docent, Deum nullibi esse. TATIAN. L. cont. Graec. et CLEM. ALEX. L. 3. Strom. negant, Deum permeare materiam et rerum substantias, voluntque eas tantum efficere. LACTANTIUS L. de Opific. c. 16. Deum dicit duntaxat esse in cœlo, ut anima est in solo cerebro. CLEM. ALEX. L. 2. Strom. Aug. L. 2. ad Simplic. q. 4. n. 5. aliique volunt, Deum in loco esse, non substantia, sed virtute tantum et operatione.

R. N. Ass. *Ad prob. 1<sup>am</sup>. D.* Docent Deum esse nullibi, excludendo per hoc modum existendi creaturarum circumscriptivum ac definitivum C. excludendo etiam substantiam præsentiam et modum existendi repletivum N. CHRYS. et AUG. eatenus tantum negarunt, Deum esse ullibi ac in loco, quatenus a loco non circumscribitur aut terminatur ita ut alibi non existat, secuti in hoc PP. antiquos, inter quos DION. L. de div. nom. c. 3. §. 1. sic de Trinitate loquitur: *Ipsa neque in loco est, ut absit ab aliquo, vel ex aliis in alia transmigret: et vero in omnibus, que sunt, ipsam dicere esse, minus est quam pro illius infinitate; que omnia et excedit et amplectitur.* Et BOET. L. de Trin. c. 4. Nam quod ubique est, inquit, ita dici videtur, non quod in omni loco sit, omnino enim in loco esse non potest: sed quod ei omnis locus adsit ad eum capiendum; cum ipse non suscipiatur in loco. Atque ideo nusquam in loco esse dicitur; quoniam ubique est, sed non in loco.

*Ad prob. 2<sup>am</sup>. D.* Negant Deum permeare materiam et rerum substantias, ut per hoc negent Deum corporum modo permisceri cum aliis rebus, aut tanquam partem et animam illis inesse C. ut negent Deum intime rebus omnibus sua entitate et substantia inesse N. Prior sensus erat Stoicorum, quos uterque impugnat; unde et CLEMENS ibid. ait: *Illi Deum omnem per-*

*meare substantiam asserunt, nos autem eum solum dicimus effectorem:* posterior est orthodoxus et a neutro assertus; quamvis in TATIANO, tanquam hæretico et sectæ propriæ conditore, vindicando laborandum ali non censeant.

*Ad prob. 3<sup>am</sup>. R.* Sunt, qui LACTANTIUM errasse, et hinc deserendum volunt: alii excusant; quia hic non agit de modo, quo Deus est in loco, sed solum animæ locum expendit, eamque cum quibusdam statuit in cerebro, sicut Deus est in summo, h. e. in cœlo, quod benigne exponi potest de quodam specialiori inhabitandi modo ex supr. d. Et quamvis comparationem etiam in eo facere videatur, quod anima committit quandoque ad pectus et alia corporis membra, Dei vero mens per universas mundi partes intenta discurrat; addit tamen eamdem mentem *ubique præsentem, ubique diffusam*, et L. 7. Inst. c. 3.: *Divinum Spiritum esse ubique diffusum, eoque omnia contineri; non ita tamen (quod ad superiore Stoicorum errorem evitandum subjungit) ut Deus ipse, qui est incorruptus, gravibus et corruptibilis elementis misceatur.*

*Ad prob. 4<sup>am</sup>. D.* Volunt Deum esse in loco, non substantia, sed virtute tantum et operatione, excludendo per hoc a Deo molem et ejus cum rebus ad instar corporum admixtionem C. excludendo ejus substantiam præsentiam, et admittendo tantum præsentiam per potentiam N. Usurpata hic a Patribus Graecis vox δύναμις seu vis et virtus eadem est ac illa οὐσία seu essentia et substantia, negatque solum illum sensum priorem. Sic postquam ANASTAS. in L. de incircumscripta Dei substantia dixisset, *Dei substantiam esse in omnibus, que sunt, mox illud exponens dicit: Divina sua virtute contrahit se ad universa, et continet.* Et FUL. L. cont. serm. Fastid. c. 4. ubi dixerat, Deum continere omnem locum, addit: *In quo moles est nulla, et cuius est virtus immensa.* Item utrumque conjungens: *Virtus Dei atque Divinitas necesse est ita sit naturaliter immensa, sicut est naturaliter sempiterna.* Ante hos autem ATHAN. L. cont. SABELL. n. 10. Non cum omnibus, inquit, extensus compleat omnia Deus: *hoc enim corporeum est: verum tanquam vis omnia continet; est enim vis corporis expers, sub aspectum non cadens, non ambiens nec ambita.*

*Inst. 1.* Deus non potest esse immensus, nisi vel sit extensus, vel secundum totam suam substantiam sepe multiplicatus: utrumque repugnat Deo; ergo.

R. *Ad 1<sup>am</sup>. p. M. T.* Non potest esse immensus, nisi sit vel proprie et formaliter, vel equivalenter et virtualiter extensus C. nisi proprie et formaliter sit extensus N. S. AUG. ep. 57 (al. 187. c. 4.) monet: *In eo ipso, quod Deus dicitur ubique diffusus, carnali resistendum est cogitationi, et mens a corporis sensibus avocanda: ne quasi spatio magnitudine opinemur Deum per cuncta diffundi, sicut humus aut humor aut aer aut lux ista diffunditur; sed ita potius sicut est magna sapientia etiam in homine, cuius est corpus parvum.* Negata in hunc modum formaliter extensione, virtualem seu aequivalentem extensionem ac immensitatem exponit ibid. n. 14. his verbis: *Est Deus per cuncta diffusus sic, ut non sit qualitas mundi, sed substantia creatrix mundi sine labore regens et sine onere continens mundum... non quasi mole diffusa, ita ut in dimidio mundi corpore sit dimidius, et in alio dimidio dimidius, atque ita per totum totus; sed et in solo cœlo totus, et in sola terra totus, et nullo contentus loco, sed in se ubique totus.*

*Ad 2<sup>am</sup>. p. N. Ass.* Quamvis enim modum, quo spiritus in loco existit, explicare accurate nequeamus, non tamen illa reponenda est in totius substantiae

repetitione, quia alias una eademque spiritus simplicis substantia foret multiplex, aut reproductio in anima et Angelis naturaliter haberetur.

*Inst. 2.* Si Deus foret immensus, sequeretur; eum replere etiam loca obsecnissima; praesentem esse in dæmonibus, facere jam nunc omnes omnino homines beatos; cum Dei praesentia hominibus beatitudinem tribuat: sed 1<sup>um</sup> est absurdum et Deo indignum; 2<sup>um</sup> impossibile, juxta illud 2. ad Cor. 6. *Quæ autem conventio Christi ad Belial etc.; 3<sup>um</sup> falsum; ergo.*

*R. Ad. 1<sup>um</sup>. Seq., quam frivolum et responsione indignam Hug. A. S. Vicr. vocat, N. m. non enim periculum est, ne Deus a locorum sordibus inquinetur, cum spiritus sit ejusmodi inquinamenti incapax.*

*Ad 2<sup>um</sup>. Seq. N. m. similiter; quia et hic fictitum est periculum, ne dæmonum malitiam contrahat Deus; allatus vero textus consensum et concordiam, non autem substantialem praesentiam Dei diabolique negat.*

*Ad 3<sup>um</sup>. Seq. prob. D. Praesentia Dei specialis per gratiam consummatam et lumen gloriae tribuit hominibus beatitudinem C. ordinaria et omnibus communis per cognitionem, operationem et substantiam N.*

*73. Observa.* Utrum Deus existat extra mundum, seu in *spatiis imaginariis*, fere ad modum loquendi pertinet, in quo ipsi etiam SS. PP. discrepant. Alii putant, melius dici, Deum non esse in spatiis imaginariis, sed in *se ipso*: alii utrumque bene affirmari, contendunt. Si itaque per spatia imaginaria intelligas spatia creata a Deo distincta, quæ actu non existunt, proprie loquendo Deus iis non coexistit; si vero intelligas ipsam Dei immensitatem, quæ a nullis mundi spatiis includitur, sed eminenter continet spatia majora et majora in infinitum, potest dici existere in *spatiis imaginariis*, quod reipsa nihil est aliud, quam existere in sua immensitate, quæ nullo finito spatio terminari potest.

#### ARTICULUS IV.

##### AN DEUS SIT OMNIPOTENS?

*74. Nota.* Vox *omnipotens* sub gemina significatione a Patribus usurpatur; modo enim idem sonat ac παντοχράτωρ, seu quod in omnia potestatem ac dominatum habet; modo idem ac παντοδύναμος, seu quod omnia facere potest. Utraque significatio Deo tribuitur, dum eum omnipotentem constitemur; de postrema tamen hic duntaxat agitur, quæ potentiam vere ac proprie effectricem, eamque amplissimam tum ratione *sui*, tum ratione *actionis*, tum ratione *objecti* exprimit. Quæritur hic de potentia *activa*, quæ est principium agendi, seu vis et virtus producendi quidpiam; activa *ad intra* dicitur, quæ producit terminum principio immanentem, h. e. in principio receptum instar formæ aut modificationis, vel ejusdem numero substantiae cum illo; activa *ad extra*, quæ producit terminum transuntem seu extraneum, h. e. a principio realiter seu numericō seu specificē quoad naturam distinctum. *Primam* Deo competere evincit Mysterium Trinitatis; de *secunda* testatur Scriptura 2. Paral. 20. 6. Job. 13. 23. Ps. 105. 2. et alibi saepius. Preterea hec Dei potentia distingui solet in *absolutam*, et absque ullo respectu ad naturas rerum vel alias causas: et in *ordinariam*,

prout operatur secundum communes leges et causas, quas in universo statuit: Nomine *actionis* intelligi potest vel ipsa operatio, vel modus agendi. Circa priorem a Theologis id discriminis inter potentiam divinam et creatam statuitur, quod hæc sit principium actionis et effectus simul, ista autem solius effectus. *Posterior* acceptio pertinet tum ad instrumenta, cum aut sine quibus actio sit; tum ad materiam, ex qua fit; tum ad ipsum effectum, quia alius sive ex se, sive ex fine, sive aliunde dicitur. *Objectum* omnipotentiae adæquatum statuitur omne illud, quod est possibile. Dicitur autem possibile *dupliciter*, positive seu extrinsece, negative seu intrinsece.

Præter veri Dei contemptores, ac diffidentes saepius Supremo Numini Judæos, Manichæi aliqui duorum principiorum cultores Deum bonum fecerunt adeo impotentem, ut non posset avertere malum: *Hermogeniani*, *Seleuciani*, cæterique post Platonicos aut alios etiam Philosophos materiam Deo coeternam finxere, quod negarent Deum facere quidpiam posse ex nihilo. Ejusdem etiam erroris a THEOPHILo ALEX. ep. Pasch. 2. n. 47. accusatur ORIGENES asserens tanta posse Deum, quantum ei ad operandum materia ministraret: *Ariani* Filium Dei velut instrumentum a Patre conditum esse voluerunt, quo ad cætera procreanda necessario sit usus. Adduntur ORGENES, PETRUS, ABELARDUS, WICLEFFUS, aliqui, qui negarunt Deum posse facere alia plura aut meliora iis, quæ fecit vel vult facere.

*75. Dico I.* Deus habet infinitam potentiam *ad extra*.

*Prob.* Ps. 144. 5. dicitur: *Magnus Dominus... et magnitudinis ejus non est finis*: quod de virtute ac potentia intelligendum esse, colligitur ex subiectis: *Generatio et generatio laudabit opera tua, et potentiam tuam pranuntiabunt*. Eccl. 18. 3. *Quis investigabit magnalia ejus: virtutem autem magnitudinis ejus quis enuntiabit, aut quis adjiciet enarrare misericordiam ejus?* Non minuere neque adjicere, neque est invenire magnalia Dei. Esther. 13. 11. *Domine Rex Deorum et universæ potestatis.* Hilar. L. 8. n. 24. de Trin.: *Deus, inquit, est immense virtutis vivens potestas.*

*Conf.* 1<sup>o</sup>. Potentia finita, ex qua parte est limitata, et imperfecta est, et talis, qua facile alia major concipi potest: sed in Deo neque ulla imperfectio esse potest: nec aliqua perfectio talis, qua possit in illo genere major alia facile et sine repugnantia concipi; ergo potentia in Deo non est finita, sed infinita. 2<sup>o</sup>. Potentia Dei potest spectari vel ratione subjecti, cuius est potentia, vel ratione sui, vel ratione actionis et modi agendi, vel ratione objecti: sub quacumque autem ex his ratione spectetur, emicat infinitas. Nam *subjectum* aut quasi *subjectum* potentiae divinæ est essentia simpliciter infinita in genere entis; adeoque cum proprietates sequantur conditionem sui subjecti, etiam potentia infinita est. Potentia Dei *ratione sui* spectata ex nuper dictis non est limitata et finita; ac preterea habet omnes conditions perfectionis simpliciter simplicis. Ratione *actionis* et *modi agendi* est plane independens ab alio, sicut ratione essentiae Deus est independens; quia modus agendi sequitur modum essendi. Hinc SS. PP. probant cont. *Manichæos et Arianos*, Deum creasse omnia de nihilo, et opus non habuisse instrumento. Spectata demum ratione *objecti*, potest plures ac plures, item perfectiores et perfectiores creaturas absque termino, et sic infinitum produ-